

D. BERNARDI

MEDITATIONES  
DEVOTISSIMAE,

ALIAS LIBER DE ANIMA:  
Acalia quædam eiusdem, &  
aliorum pia opuscula.

QVAE OMNIA, IN CALCE  
huius libelli habebis.

¶ non respexit

Beatus vir cuius est Dominus spes eius,



in manibus & in animis salva.

VENETIIS IN VICO SANCTÆ  
MARIE FORMOSÆ, ad Signum Spei.

M D LII.

grecelafomys de thy se sal.

ram internæ lectioni, ut legas, inspicias, & cognoscas te ipsum, legas ut diligas eum, ut pugnes & vincas mundum & omnem inimicum: quatenus labor conuertatur in requiem, luctus in gaudium, & post tenebras huius uitæ uideas ortū surgentis auctoræ. Videas etiam meridianum solem iustitiæ: in quo sponsum cum sponsa prospicies: unum eundemq; dominum gloriæ, qui uiuit & regnat per infinita secula.

## Meditationes Finis.

## DE INTERIORI DOMO, Id est, de conscientia ædificanda.

## PROLOGVS.

**D**omus hæc in qua habitabamus, ex oī parte sui ruinam nobis minatur. Idcirco qā i breui est casura, alia nobis est ædificāda. Redeamus ergo ad nos, & discutianus cōscientiam nřam Nā sicut corpus nostrū tabernaculū dī: in quo militamus: sic conscientia nostra domus uocatur, in qua post militiam requiescimus, & ille recte militat, qui per militiam quam exercet in corpore, domum ædificat conscientiæ. Diligenter exerce agrum tuum, ait sapiens, Prew. 24. aut postea ædifices domum tuam. Ager iste

EPISTOLA EIVSDEM D. BER-  
nardi de perfectione uitæ spiritualis.

**S**i plene uis aſſequi qđ intendis, duo ſunt tibi neceſſaria. Primū eſt, ut ſubtrahas te ab omnibus trāſitorijs, ut nihil de eis cures, ac ſi nō eſſent. Secundū ut ita des te Deo, ut nihil dicas, uel facias, niſi quod credideris ſibi firmiter placere. Primum autem aſſequeris hoc modo. Si omnibus modis, quibus potes te uilificaueris te nihil reputando eſſe, ſi credideris omnes homines bonos eſſe & meliores te magiſcū placere Deo. Quæcumq; audieris uel uideris de religiosis, & famosis pſonis, puta bona intentione fieri, uel dici etiam ſi contraria uideantur. Nam ſępe humana ſuspicio fallit. Nulli diſpliceas. Nihil unquā de te loquaris, quod laudē importet, quantumcumq; ſit familiaris ille cum qua loqueris, imo plus labora, celare uitutesq; uitia. De nullo prorsus finiſtre loquaris quantumcumq; ſit uerum, uel maniſtū, niſi in cōfessionem, & hoc ubi nō poteris aliter maniſtare peccatum tuū Libētius accōmoda aurem cū quis laudatur, q; cū uituperatur. Cum loqueris, uerba tua ſint rara, uera, ponderosa, & de Deo. Si ſecularis loquitur tecum, & proponit uana, q; ci-  
tius potes ſuccide sermonem, & trāſferas

*nō tñ p̄at̄  
faciat p̄at̄  
alienum.*

BEATI ANSELMI LIBER  
MEDITATIONVM.



Omine Deus meus, da  
cordi meo te desidera-  
re, desiderando quære-  
re, querendo inuenire,  
inueniendo amare, amā-  
do mala mea redimere,  
redempta nō iterare, da  
**domine** Deus cordi meo pœnitentiæ cō-  
punctionem, spiritui contritionem, oculis  
lacrymarum fontē, manibus eleemosynæ  
largitatem. Rex meus extingue in me desi-  
deria carnis, & accēde uim tui amoris. Re-  
demptor meus expelle à me spiritum su-  
perbiæ, & concede mihi propitius thesau-  
rum humilitatis tuæ. Saluator meus amo  
ue à me furorem iræ, & indulge mihi sen-  
sum patientiæ. Creator meus euelle à me  
animi rancorē, & largire mihi mentis dul-  
cedinem. Da pater clementissime solidam  
mihi fidem, spem congruam, charitatem  
perfectam. Rector meus auerte à me ani-  
mi uanitatem, mentis inconstantiam, cor  
dis uagationem, oris scurrilitatem, oculo-  
rum elationem, uenbris ingluuiem, oppro-  
bria proximorum, scelera detractionum,  
curiositatis pruriginem, diuitiarum cupi-  
ditatem, potentatuū rapinā, inanis gloriæ

D. ANSELMI

Admitte me intra cubiculum amoris tui,  
peto, quæro, pulso. Qui me facis petere, fac  
& accipere Das quærere: da inuenire. Do-  
ces pulsare: Aperi pulsanti Cui das, si ne-  
gas petenti? Quis inuenit, si quærens fru-  
stra? Cui aperis si pulsanti claudis? Quid  
das nō oranti: si amorē tuū negas oranti?  
A te habeo desiderare: à te habeam impe-  
trare. Adhære illi, adhære importune ani-  
mam meam. Bone domine, pie domine ne reij  
cias eam, fame amoris tui languet, reso-  
cilla eam, satiet eā dilectio tua: impinguet  
eam affeſtus tuus, impleat eam amor tuus  
occupet me totum & possideat me totū:  
quia tu es cum patre & spiritu sancto deus  
solus benedictus in secula seculorum: Amé.

*Hic dialogus n<sup>r</sup> B E A T I A N S E L M I  
ad B. Anselmi, utriusque Dialogus de passione domini.*

*Mulier falsa dicitur  
neat, pueri car-  
k legendus*

**B**eatus Anselmus Episcopus, longo-  
tempore ieiunijs, lachrymis, & ora-  
tionibus glorioſam uitę nę exora-  
bat, ut ei dilecti filij sui paſſionem digna-  
retur perfectius reuelare, cui tandem appa-  
rens beata virgo dicebat: Tanta & talia  
paſſus est meus filius predictus, quod nul-  
lus fidelis sine lachrymarum effusione po-  
test exprimere. Tamen quia glorificata sum,  
amplius ille nō possum, & ad precessus  
& pio.

D. ANSELMI

meo Iesu, quoniam hic expectare uellem  
donec moriar, & iterum omnes fleuerunt:  
Ioannes uero me tandem in ciuitatem in-  
troducedit Populus autem me uidens indu-  
tam uestem aspersam sanguine sicut ante  
Iesum steteram, & sanguis eius super me  
stillauerat unanimiter clamabant gemen-  
tes: O quanta iniuria facta est hodie in Je-  
rusalem in ista domina & filio suo, & co-  
patiebantur nobis. Iudei autem propter  
inuidiam recluserunt Ioseph uiuum in mu-  
ro, quia Christum sepelirent. Vxor autem  
eius locū filio eius Iosepho post ostendit.  
Tandem post annos quadraginta uene-  
tunt Titus & Vespasianus Ierusalem de-  
struentes & Ioseph uiuum de muro exclu-  
serunt. Et sicut Iudei Christum pro triginta  
denarijs emerunt: ita triginta Iudeos  
pro uno denario uendiderunt.

BEATI ANSELMI LIBER Q VI  
*Speculum euangelici sermonis, alias*  
*sternulas amoris inscribitur.*

Quod salubre sit Christiano uenerari & am-  
plecti infirma Saluatoris. Cap. I.

I Esum Nazarenum à Iudeis innocen-  
ter condemnatum: à gentibus cruci-  
affixum, nos Christiani diuinis hono-  
remus obsequijs. Saluatoris nostri infirma

XXXII D. ANSELMI A V.

Nam me percipere concedas. Per eum qui tecum uiuit & regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

EIVSDEM DIVI ANSELMI LIBER de miseria anime peccatrixis, ad quam existendam ostenditur horribilitas extremi iudicij, simulque docetur non esse desperandum sed ad Iesum confugiendum, cumque precibus invocandum.

**M**atth. 7.  
**T**erret me uita mea. Namque diligenter discussa, apparet mihi aut peccatum, aut sterilitas ferè tota uita mea : & si quid fructus in ea uidetur, sic est aut simulatum, aut imperfectum, aut aliquo modo corruptum : ut possit aut non placere, aut displace Deo. Ergo o peccator, uita tua iam non ferè tota aut in peccato est, aut damnabilis, aut infructuosa, & contemptibilis ? Sed quid separo infructuosa à damnabili ? Vtique si est infructuosa, est & damnabilis. Constat enim & uerum esse, quod ueritas Dei dixit: Omnis arbor, quæ nō facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Denique siquid ago utile, proorsus nullatenus illud compenso alimentis corporis, quibus abutor. Sed quis pascit pecus, quod nec tantum prodest, quantum consumit ? & tamē tu benignus

113 INVOCATIO MARIAE  
ORATIO DEVOTISSIMA  
*eiusdem ad gloriosam dei genitricem Vir-  
ginem Mariam & ad Deum & do-  
minus nostrum Iesum Chri-  
stum unicus filium eius.*

**S**ancta & inter sanctos post deū sin-  
gulariter sancta Maria mater admis-  
tabilis virginitatis, virgo amabilis  
fœcunditatis, quæ filium altissimi genui-  
sti, quæ perditō humano generi saluatorē  
peperisti, domina præfulgens tanta sancti-  
tate, supereminens tanta dignitate, quam  
utiq̄ certum est nō minori præclaram esse  
potentia q̄ pietate, tibi o genitrix uitæ, o  
mater salutis: o templum pietatis, & misé-  
ricordiæ, tibi se se conatur præsentare, mi-  
serabilis anima mea morbis uictioru lan-  
guida, vulneribus facinorum scissa vulne-  
ribus flagitoru putrida, tibi nititur quan-  
tum moribunda ualeat supplicare, ut po-  
tentibus tuis meritis, & pijs tuis precibus  
digneris eam sanare. Sic enim pia domina  
alienatā est à se imanitate stuporis, ut uix  
sensum habeat enormis languoris sic for-  
didus & foetore, foedatur, ut timeat ne ab  
ipsa misericors uultus tuus auertatur, sic  
tabescit desperando respectus tui conuer-  
sionē, ut etiam os obmutescat ad ora-  
tionem. Peccata mea, nequitq̄ me s̄ iha-

ei⁹s, & uos uultis, & æquū est, ut q̄cquid  
uos diligitis diligatur a nobis. Ergo bone  
filij rogo te per dilectionem qua diligis fi-  
lium tuum: ut sicut tu uere diligis, & dili-  
gi⁹ uis eum, ita mihi impetres, ut uere dili-  
gam eum. Ecce enim peto quod ut fiat ue-  
re est in uestra uoluntate. Cur ergo ppter  
peccata mea non fiet cum sit, in uestra po-  
testate? Amator & miserator hominū tu  
potuisti reos tuos, & usq; ad mortem ama-  
re, & poteris te roganti amorem tui, & ma-  
tris tuæ negare? Veneretur igitur sicut di-  
gni es⁹tis mens mea uos, sicut æquum est  
cor meum. Diligat uos, sicut sibi expedit  
anima mea seruiat uobis, sicut debet ca-  
ro mea, & in hoc consumetur uita mea, ut  
in æternum psallat tota substantia mea.  
Benedictus dñs in æternū fiat fiat. Amen.

F I N I S.

## E I V S D E M D E P L O R A T I O

*pro amissa virginitate, seu casti-  
tate per fornicationem.*

**A**NIMA mea, anima mea erumno-  
sa, anima inquam misera miseri  
homunculi, excute torporē tuū,  
& discute peccatum tuum & cōcute men-  
tem tuam, reduc ad cor enorme delictū,

## TRACTA. VITAE SPIRI.

meæ, fugit enim exterrita à terrente iustitia tua , ad confortantem misericordiam tuam, ut quoniam præmium uirginitatis corruptio est (ò dolor) irrecuperabilem, saltem suppliciū fornicationis pœnitenti non sit ineuitabile. Quia non est impossibile omnipotentiæ tuæ nec indiceris iustitiæ tuæ nec insolitū misericordiæ tuæ, & quoniam bonus es , quoniam in æternum misericordia tua , qui es benedictus in secula . Amen.

F I N I S.

## TRACTATVS VITAE SPIRI.

*Finalis editus à beato Vincentio ordinis predicatorum.*

## PRAEFATIO.

**P**onam in hoc tractatu tantummodo documenta salubria , deditis doctorum extracta: non adducam ali quod Scripturæ testimonium , uel aliquius doctoris, ad probandum quæ dicam, uel suadendum: tum quia breuitati intendo: tum quia tantummodo ad illum sermonem dirigo, qui cum magno affectu desiderat implere, quæcumq; secundū Deum fienda cognouerit. Et idcirco etiam dicta non probo : quia humilem intendo instruere: non cum arrogantibus contentio

nibū s

## S E R M O D O M I N I P E T R I

*Damiani Cardinalis.*

**P**ensandum quippe est cum iam anima peccatrix: vinculis incipit carnis absolu-  
tio amaro terrore concutitur quantis mor-  
daciis conscientiae stimulus laceratur. Recolit uer-  
tita, quae comisit: uidet mandata, quae negligens  
ter implere contempsit. Dolet iudicata poeniten-  
tiæ tempora: se se inaniter percepisse plorat im-  
mobilem districtæ ultionis articulum sibi ine-  
uitabiliter iminere. Manere satagit: ire compel-  
litr. Recuperare uult perdita: non auditur. Post  
terga respiciens totius transactæ uitæ cursum:  
uelut unum breuisimum deputat passum. Ante  
se oculos dirigit & infinitæ perennitatis spacia  
deprehendit. Plorat itaq: quia in tam breui spa-  
tio acquirere potuit onus laetitiam seculo-  
rum. Deflet etiam se propter tam breuem ille-  
cebræ carnis uoluptatem inenarrabilem perpe-  
tuæ suavitatis amississe dulcedinem. Erubescit  
quia propter illam substantiam quæ uermibus  
erat obnoxia: illam neglexit quæ choris ange-  
licis erat inferenda. Iam raudios mentis attol-  
lit, & cum diuinitarū immortalium gloriam con-  
templatur, eam propero uite huius inopia per-  
didisse confunditur. Cunq: sub se reflectit ocu-  
los ad huius mundi conualle, terræq: caliginē:  
supra se non miratur eterni luminis charitatem,  
liquido comprehendit quod nox erat, & tene-  
bræ quod amauit. O si residuum poenitentiaæ

## DIALOGVS BREVIS SANCTAE

*Catherinae Senensis, consummatam  
continens perfectionem.*

**C**Vm anima quædā ab auctore lucis illuminata, propriam fragilitatem & miseriām, ignorantiam s. & pronam ad malum naturam recognosceret, aliquātulumq; Dei magnitudinem, sapientiam in quam potestiam, bonitatem, ceterasq; ipsius præstantiæ partes suspiceret, uidit q; dignum & necessarium esset, ut idem perfecte coleretur, & sancte. Dignum, quia cum pater universorū, & dominus sit, omniaq; ut suum ipsius nomen collaudent, & ad suam referantur gloriam fecerit, congruum & equum est, ut seruus dominum suum obseruans, ei seruat, & obsequio parcat: necessarium, quia cum ipse Deus, rationale animal spiritu & corpore compositum, hac conditione considerat, ut si voluntarie usq; ad mortem fidelem sibi præstiterit servitatem, ad uitam perueniat sempiternam, aliter felicitatem illam omni bonorum aggregatione cumulatam consequi nequit, per paucos autem hoc adimplere, sicq; per paucos saluari, q; fere omnes querant quæ sua sunt non quæ Dei. Videlicet præterea breues dies hominis esse, incertam horam, punctumq; quo id momentaneum promerendi tempus finiatur, in inferno uero nullam esse redemtionem, sed unumquenq; in futura uita, imutabili & ineuitabili sententia, pre-

**VERBA FRATRIS RICERII DE  
Marchia socij beati patris Francisci qua-  
liter homo cito potest peruenire ad  
agnitionem ueritatis.**

**Q**uicunque uult ad ueritatis agnitionem breui & recto tramite peruenire, & pacem in anima perfecte possidere, oportet q[uod] totaliter se expropriet ab amore omnis creaturæ & etiam sui ipsius, ut totaliter in deum se projiciat nō reseruans sibi aliquid: nec etiam tempus ut nihil per proprium sensum sibi prouideat quin semper sit dispositus ducaturi diuino & uocationi ipsius. Qui uult cū deo coniungi oportet q[uod] non reseruerit aliquod medium inter se & deum. Tot autem sunt media quot res quas quis amat. Ut ergo non impediatur dei coniunctio tollatur omnis amor de medio. Nam h[oc] est causa q[uod] multi uidentur magni spirituales tenentes quafdam obseruantias bo[n]as ualde rigide & continue & scilicite, & nihil minus sunt temper tepidi, & nō ueniunt ad perfectum & solidum statum quia scilicet habent aliquid proprium quod est medium inter ipsos & deum. Et propter media que reseruant in anima recipiunt alternationes: quia si aliquando sentiant diuitiā dulcedinem: imo si continent orationes & alias obseruantias, & habeant aliqua sentimenta de deo: tamē postea redeunt ad fabulas murmurationes, & secularium colloqu-

Immo si quis pro certo dictam, expropriationem bene & fideliter & pure faceret in paruo tempore & infra paucos dies inciperet sentire de praedictis, & diuinam dulcedinem degustaret, & perseverando in eadem expropriatione omnia praedicta esse uera experimento certissimo comprobaret: ita ut ab oratione exiens cum uiuacitate & amorositate sola diuina amplecteretur. cernens hunc mundum cum quadam anxietate & stupore tanquam affonitus & alienatus sive alter effectus: atque quasi de alio mundo veniens mundum hunc totaliter uilpendens: uix ipsum cum tædio uidere patetur: propter elongationem animi factam ab eo, & iucundissimam transformationem in Deum. Qui uiuit & regnat in secula seculorum. Sanctissime & indiuine trinitati & domini nostri Iesu Christi crucifice humanitati ac beatissimæ virginis integrati sit semper gloria: per infinita secula seculorum. Amen.

## DOMINVS DEVS DOCTRINAM

*hanc salutarem cuidam anime  
desideranti dedit.*

**A**NIMA igitur ista illuminata a patre luminum de propria fragilitate & miseria uidelicet ignorantia & inclinatione ad malum & de aliquali magnitudine Dei. si sapietia & potentia & bonitatis & cæterarum virtutum eius. Videns & in isto homine quantum di-